

~~458~~  
KNY-18-  
00507

160

EPITHALAMIUM  
IN NUPTIIS  
SERENISSIMI  
REGII CORONÆ PRINCIPIS,  
ET  
ARCHIDUCIS  
JOSEPHI  
CUM SERENISSIMA  
ISABELLA BORBONIA

ÆQUE  
REGIA PARMÆ PRINCIPE  
VINDIBONÆ  
SOLENNITER CELEBRATIS

PER  
JOSEPHUM L. B. DE REWA,  
PERPETUUM IN SZKLABINA, ET BLATNITZA, INCLY-  
TI COMITATUS THUROTZIENSIS COMITEM PERPETUUM,  
EQUITEM AURATUM, S. C. R. ET A. MAJESTATIS IN EXCELSO CON-  
SILIO LOCUMTENENTIALI REGIO · HUNGARICO  
CONSILIARIUM.

ANNO QUO  
AVSTRIA BORBONIS, IVNGIT SVA NVMIINA DIVIS  
AVGETQVE HOS PLAVSVS NOBILIS HVNNA COHORS.

---

POSONII,  
TYPIS JOANNIS MICHAELIS LANDERER, PRIVIL. TYPOGRAPHI.

R 9193/983

AUGUSTORUM  
VIRTUTUM, ET REGNORUM

ALIQUANDO

HÆREDIBUS

SERENISSIMIS.

REGIO

HUNGARIÆ, ET BOHÆMIÆ

CORONÆ PRINCIPI

JOSEPHO

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ

ET

ISABELLÆ BORBONIÆ

REGIÆ PARMÆ PRINCIPI

NEO-SPONSIS

VITAM LONGÆVAM,

CONSTANTEM SANITATEM,

ET


PERENNEM FELICITATEM.

KNY-18-00507



Humillimus perpetuoque  
fidelis subditus

JOSEPHUS L. B. DE REWA.



**B**ella canant alii, partosque ex hoste triumphos,  
Inviçtamque Tuam REGINA THERESIA mentem,  
Quâ domitum toties, toties nova Bella parantem  
Regem Prussorum, summâ virtute retundis;  
Atque alias AUGUSTA, Tuas, quæis solis adinstar  
Fulges, virtutes, canat alter, amabo! Poëta,  
Hoc, tantumque onus Vates temerarius ausit.



Ast mihi pennigerum Paphia cum Matre Puellum  
Spargentem tenerâ, quâ nec Diis parcere nôrat,  
Tela proterva manu, gracili celebrare camœna  
Est animus: Nostris Erato conatibus adfit.  
Tempus erat roseis, quô primùm invecta quadrigis  
Humentes Aurora Polô dimoverat umbras;  
Cùm, quâ Pannoniis mons Cœcius imminet arvis,  
Vindibonamque jugo tumidus prospectat ab alto,  
Hungarici spes certa Throni, Princepsque Juventæ  
Aufriacæ, JOSEPH, Tua, CÆSAR MAXIME! Proles  
Umbrarum saltus, & grata silentia captans,  
Quâ magis intonsæ frondes, minùs obvia Phœbo  
Sylva patet, patulam solus confedit ad ulmum,  
Ac tandem placidâ laxavit membra quiete.

Illum fortè Venus, Psichen, quam Natus amabat,  
Dedignata Nurus; Natôque, Paphôque relictis  
Dum Nova Regna, novas sibi quærere cogitat Ædes.  
Prætervecta videt: Vidit, Natumque putavit  
Esse suum; tam pulcher erat, formæque decore,  
Etsi non Idem, poterat tamen Ille videri,  
Nisi toto Geticum præferret corpore Martem.  
Vidit & obstupuit! mox alite sistere jussâ  
(Tunc etiam niveis currum præjuncta columbis  
Aëra findebat) curru descendit eburno,  
Charitibus comitata suis, dulcique Hymeneô,  
(Hunc etenim comitem jungi sibi Diva volebat  
Lascivos exosa thoros) propiusque jacentem  
Incuita, incipit: Quis te mihi Dulcis Adoni?  
Dicere; at agnovit tandem non esse cupitum,  
Infausti Cyniræ, sua quondam gaudia. Natum,  
Quis tamen hic, qualisve foret? quantaque Parente  
Editus? Unde Pater? dum sic secum Ipsa volutat;  
Ecce tibi Majâ genitum, qui præpete pennâ



Pannoniam emensus post Jussa peracta Parentis  
Ad superos repetebat iter; Cui Mater Amorum  
Jam prope prægresso, Verbis sic fatur Amicis:  
Sive Patris pia Jussa refers, seu fortè peractis  
Regrederis Frater, mecum hisce morâre sub umbris  
Tantillum, Juvenemque vide! quo pulchrior alter  
Non fuit; Hujus ego cervicem, humerosque, manusque  
Pectoraque Artificum laudatis proxima signis  
Mirari non cesso satis: Si forte Parentes?  
Si Juvenem nôsti? Dic: tota loquentis ab ore  
Pendebo; Tibi, Jussa Patris, cùm ferre per Orbem  
Sueveris, est hujus pars nulla incognita Mundi.  
Risit Atlantiades: Ergo Tu sola tot inter  
Esne adeò peregrina Deos? peregrina Deasque?  
Inquit: ut ignares Juvenem, ignoresve Parentes,  
Quos tamen ex ipsa poteras cognoscere fama;  
Cujus enim Imperio paret Germania, Cujus  
Pendet ab Augusto Romana Potentia nutu,  
Cujus Connubio Regina THERESIA gaudet,  
Maximus Ille, Atavis re, factis, Nomine CÆSAR  
Est Olli Genitor! Matrem veneratur Uterque  
Oceanus Dominam; Quidquid Dravum inter & Istrum  
Terrarum est; quidquid Morava, atque interjacet Albi,  
Quive Unnam, Colapimque bibunt, Gens nescia vinci;  
Et quorum populatur agros, Vagus, atque Patyffus,  
Illius Imperium est, Magni fuit ante Parentis.  
His Cretum non nôsse pudor! quem Juppiter ipse  
Esse suum vellet, Te unam Cytherea latebit?  
Tunc exosa Tuum, quod amet sine Crimine, Natum,  
Teque oblita Deam, Linques Paphon Æquore cinctam,  
Piscosamque Cnydon, gravidamque Amathunta Metallo?  
Falleris! ut fugias tandem Natumque, Nurumque,  
Una tecum habitant, & te comitantur euntem.



Quæ cùm ita sint: Quid jam tandem Soror optima restat?  
Quàm ut redeas, summiq; Patris pia Jussa faceffas.  
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,  
Terra antiqua potens armis, atque Ubere Plebæ  
Italiam dixêre Patres: Florentior olim,  
Cum ferrô domitis, Romana Potentia terris  
Imperium, legesque daret; Nunc Inclyta Sede  
Pontificum, & Sacrô toties madefacta cruore.  
Illic Adriacis Venetorum Urbs innatat Undis,  
Quam positam a Superis rectè dixêre Poëtæ;  
Humanum superâsse suo splendore decorem,  
Ætate Imperii Romam, Moderamine Legum  
Athenas, ipsamque adeo Lacedemona certum est.  
Parte alia Insubres, quos longis fluctibus errans  
Dividit Eridanus, non uno a Principe Leges  
Accipiunt, Veteres Cereris, Bacchique Coloni.  
Borbonii hos infra Sedes posuêre recentes;  
Gens, quam nulla satis cantare Encomia, nullus  
Sat Calamus celebrare queat, tot Clara Triumphis,  
Quot Reges numerat, Belloque, & Pace potentes.  
Parque Una Austriacis: Illos & Maxima, pridem  
Æternâ serie veneratur Gallia Reges,  
Et colit Hispanus. Jam & Partenopeia Regna  
Accesère! Audis? quæ quantaque Nomina narrem!  
Borbonios dixi: Nam cujus Jussa veretur  
Gvaftala, Parma, Ducis, Cunas, Thalamumque, suaque  
Omnia Borboniis non uno Nomine debet,  
Et Gener, & Frater. Quid plus Mortalis habere?  
Quidve optare queat? tamen est, quô Major habetur.  
Natam Illi Superi, partu felice dedêre  
Formâ illâ, tantoque Animi, Vultusque decore!  
Ut si non Divam, Nymphis tamen esse priorem  
Dixeris; a teneris Spemque, Invidiamque Procorum.

Scs,



Scis, quāntis odiis duo jam prope sæcula vergunt,  
Aufriaci cum Borboniis in Bella ferantur?  
Istis Diffidiis Superi sua Numina sperni  
Iratique suas raris cultoribus Aras  
Flaminibus ne fortè suis plerasque carere,  
Constituère odiis optatum ponere finem,  
Augustasque Domos æterno fœdere jungi.  
Firmandæ Paci, Parmensi Principe Nata  
Optima visa Diis, & idem fatalia nentes  
Stamina, cummuni voto fanxère Sorores.  
Vidi ego cum nuper præstantior omnibus una  
Ibat, eratque decus Pompæ, Comitumque suarum  
Umbriferos, ubi Parma suo miscetur Amato  
Urbis (Colornum dicunt) spatiata per hortos.  
Non magis illa suas inter, quàm Lumina Phœbe  
Emicuit, flos Ipsa sui pulcherrimus horti.  
Hanc, talem, tantoque fatam Genitore Puellam  
Arbitrio Divûm Sponsam JOSEPHUS habebit.  
Qui, quis sit? qualisque? vides: Tua cætera sunt.  
Ergo depositô commoti Pectoris æstu  
Perge Tuam redamare Nurus; Natumque vocatum  
Ire jube, quô Fata jubent; paret Ille sagittas,  
Adductoque arcu, leni configat utrumque  
Vulnere, & Ambobus castos inspiret Amores.

Postquam Atlantiades Mandatis ritè peractis  
Par levibus Ventis tenues effugit in auras;  
Mox Cytherea suum, Pharetramque, Arcumque rogatum  
Tollere, & ommissis iterum pugnare sagittis  
Talibus alloquitur Natum: Puer improbe, vincis!  
Sit tua jam Psiche, non abnuo, sit tua Psiche;  
Tu sed, & in Matrem, & Superos cessa improbus esse,  
Atque meis tandem Jussis parere memento.  
Sit tua jam Psiche! & quoties tua tela vibrabis,



Læsus tam castos, quàm quos tu, sentiat ignes.  
Interea, quid Fata jubent, quid Juppiter Ipse  
Jusserit? attentâ narraturam excipe mente.  
Qui jacet hic, leni resolutus membra quiete  
Austriacis reddet Saturnia sæcula terris,  
Ante sed in Thalami Sociam sibi Principe juncta  
Principe, Borbonio propugnata utroque Parente,  
Nomine ISABELLA Parmensi Principe nata.  
Eja age, & innocuâ cor fige utriusque sagittâ.

Nec mora! correptô Puer Aliger ocyus arcu  
JOSEPHI, nîl tunc metuentis, adhucque sopore  
Oppressi, medium tenerô cor vulnerat ictu;  
Inde per aërias omni velocior Euro  
Alpes Translatus, Parmensis Principis Aulam  
Ingreditur, mixtamque suis tunc fortè Puellis  
Telô eodem, Natamque locô transfigit eodem.  
ILLA novas, ignara mali, sine crimine flammâ  
Sentit, & innocuo imbellis pugnat amori.  
Non ita JOSEPHUS: Qui leni percitus ictu  
Insolitos properè promissæ Virginis æstus  
Hauferat, & facilis pronos exarsit in ignes.  
Quamque Paris Veneri, quam præposuisset Inoni  
Juppiter, atque suæ Daphni Divinus Apollo,  
Hanc ambit, damnatque moras insomnis Amator.  
Sæpe etiam secum queritur: Quid MAXIME CÆSAR  
Cunctaris mea vota Pater? cur jungere differs  
Promissam? castasque preces implere recusas?  
Pone tamen JOSEPHI Tui suspiria justa  
Pectoris! Illa Tui Pars præstantissima cordis  
Exiit Italicas, superatis Alpibus, oras;  
Fallor an hac etiam Tua Jussa expectat in Urbe.

ILLA quidem similis Nascenti, aut proxima Phœbo  
Te solem JOSEPHI suum visura, relictis

Omni-





Omnibus, exacto per mille pericula curfu  
Forte suburbanis tantisper substitit hortis,  
Quos prope Vindibonam, victa Semiramide sumptu,  
Hesperisque pares, notus per mille Triumphos  
Princeps Eugenius, cultu pare Regibus auxit,  
Ut teneros pertæsa viæ componeret artus,  
Et placidam tandem caperet secura quietem,  
Si tamen ullus amans tranquillior otia curat.

Non aliàs ISABELLA suum suspirat amantem,  
Causatur quandoque moras, quandoque Parentes;  
Mox memor ingenui CASTISSIMA VIRGO pudoris,  
Venturæ ad nomen suffusa rubore Diei  
Destitit, & puduit tædas optâsse jugales.

Sed cessent tandem suspiria, cesset Amaror  
Omnis, & à Vultu tristes deponite curas  
FELICES ANIMÆ! jam proxima meta laborum est,  
Unaque nox Vestros, dirimit, Nox improba! Plausus.

Sed jam flammio mis, sese alto gurgite tollit  
Vectus equis Titan, noctemque repellit opacam.  
Ecce suburbanos linquens ISABELLA recessus  
Qualis Hamadriades, inter, Driadesque Diana  
Pulchrior Ipsa, suo, quem corpore gestat, amictu  
Vindibonam festâ Populi plandente Coronâ  
Invehitur, Belli speciem referente fragore;  
Ad primasque Aras, SPONSO comitante peractis  
Devotè precibus, Vinclo sociata jugali est.  
Pompam hujus laudent alii celebrentque Diei!  
Hoc tantum dixisse juvat: Non nota placebant  
Gaudia, non usu Plebejo trita voluptas,  
Quæsitus tellure nitor certaverat Ostro,  
Hinc Numidæ Crustas, illinc nova vellera Seres,  
Atque Arabum Populus sua despoliaverat Arva;  
Totque inter sumptus, nil fulvô vilis auro  
Vidisses! tanto Sponsa est, excepta decore.



Tu sed Borbonii Proles Augusta Parentis,  
Magnorum Soboles Regum, parituraque Reges,  
Augustos ne sperne Lares, thalamumque pudicum  
Ingrediare lubens, & nostris annue Votis,  
Huic castas Hymenæe faces, accende, thoroque  
Adsis continuus; procul hinc, procul, omnis Enyo  
Eumenidumque furor! tantum, Lucina, Venusque  
Aureaque hic habeat tantum Concordia Sedem.

Ast quos sic sociavit amor, Sanctissima Regum  
Progenies! Reges etiam quandoque futuri,  
Quas ita concordēs mansura in fœdera dextras  
Junxistis; nulli temerent in Sæcula casus;  
Crescat amor semper; Non Basia Vestra Columbæ,  
Brachia non hederæ, non vincant oscula Conchæ;  
Fortunam invideant hostes, venerentur Amici;  
Fœdæque mox Mater, SOCERI SOCRUSQUE beatas  
Auge conspicuis ISABELLA Nepotibus Ædes.

C E C I N I

